



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesisius

Sammieli, 1613

Liber Quartvs, in quo agitur de virtutibus Theologicis & primæ tabulæ
præceptis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

LIBER
QUARTVS.

*In quo agitur de
Virtutibus Theo-
logicis, et primæ
Tabulæ præceptis.*

Quid sit fides, & quæ sit eius ma-
teria. Cap. I.

Fides est * assensus eorum,
quæ per Spiritum Sanctum
Ecclesiæ sunt reuelata, quate-
nus sunt à Spiritu sancto. Ea autem
quæ reuelata sunt, credi possant,

multipliciter, aut quia ratione probabili, vel miraculis, seu alia simili causa sunt confirmata. Inter omnes tamen assensus ille solus dicitur fides, quo credimus reuelata esse vera, quia Deus dicit per Ecclesiam suam. Alia verò quæ Dominus alio modo reuelat Sanctis suis, vt Sanctæ Brigidæ, fide non credimus, sed humana tantum opinione. Sex autem sunt, quæ certò credere debemus per Spiritum sanctum Ecclesiæ Catholice reuelata: Primo loco sunt, ea quæ in scripturis Canonicis continentur. * Secundo, illa quæ per Apostolicas traditiones vniuersales cõseruantur. * Tertio, Quæ in Conciliis generalibus, vel Prouincialibus à Sede Apostolica confirmatis certò determinantur. * Quarto, Ea, quæ à Romano Pontifice, vt tali, de fide esse definiuntur. * Quinto. Illa, quæ vnanimi consensu omnes sancti Docto-

res tradunt. * Sexto & ultimo, quæ ex aliquo horum in fallibili argumento deducuntur.

De modo, & necessitate fidei.

Cap. 2.

Sine hac fide ab Ecclesia Catholica edocta, nullus saluari potest: sed omnes in æternum damnantur. Est enim necessaria ad salutem, & ad opera meritosa, quæ sunt media, quibus in cælum ducimur. Præter fidem autem interiorem, exterior fidei confessio necessaria etiam est in duobus casibus. * Primo. Quando si fecus fieret, honor Dei auferretur, ut si quis de fide interrogatus eam negaret aut suo silentio vel quouis alio actu eam negare videretur. * Secundo. Quando ex negatione vel dissimulatione fidei periculû aliis crearetur existimandi fidem Christi non esse veram. Cæterum quæ

uis non omnes teneantur ad fidē explicitam omnium, quę credenda sunt, nullus tamen præcepto fidei per solam implicitam satisfacit. Vtraque namque necessaria est, & explicita quidem omnium articulorum fidei, quę ad humanitatem, & Christi diuinitatem spectant, implicita vero aliorum omnium quę credit Ecclesia.

Quid sit hæresis, & quare sic dicta. Cap. 3.

Hæresis Græcè, Latine electio dicitur, quasi fides sit ex propria hominis voluntate electa. Definitur sic: Hæresis est * error pertinax hominis Christiani, fidei Catholicę ex parte contrarius. Ex quibus verbis habentur quinque ad hæresim esse necessaria. Primū est error, vel existimatio, aut veri pro falso, aut falso pro vero. * Secundo, necesse est,

quod talis error sit contrarius ei, quod tenet, vel docet Ecclesia. Tertio, quod non aduersetur omnibus, quæ fidei fiunt, sed ex parte, contra aliquas veritates duntaxat. *Quarto. Quod sit Christiani, id est baptizati alioquin non dicitur hæresis. * Quinto, Quod tali errori pertinacia adhæreat. Est enim hæc pertinacia adeò necessaria, quod sine vlla nunquam sit hæresis. Pertinacia autem tunc est quando contra Ecclesiam aliquid esse cognoscitur, & nihilominus sustinetur, aut defenditur.

Quibus modis peccetur peccato hæresis. Cap. 4.

Tripliciter quis peccare peccato hæresis potest. * Primo tantum interius, cum in corde habet aliquid erroneum cum pertinacia circa materiam fidei. * Secundo. Exterius tantum, cum quis in corde retinens fidei veritatem, ex-

terius, ita, vel timore perculsus, aliquem in actum fidei contrarium ore, vel opere committit. *Tertio quando quis interius, & exterius aliquid facit contra fidem, idque aut coram aliis, vel nullo præsente. Omnia ista sunt peccata gravissima, sed primum, & tertium tantum faciunt hominem hæreticum: etsi primum excommunicatione careat: enimvero Ecclesia non iudicat de occultis. Qui vero committit errorem tantum exterius, quamvis excommunicatus, & hæreticus censeatur, nihilominus in foro interiori nulli subiacet excommunicationi, & à quolibet confessario potest absolui. Dubius in fide infidelis est, si tale dubium sit voluntarium, & pertinaciam habeat annexam. altero enim horum deficiente, dubius in fide, infidelis non erit. Hæreticus occultus potest absolui ab Episcopo Conc. Trid. Sess. 24. cap. 6.

*De iis, qui excommunicantur
propter hæresim. Cap. 5.*

Non tantum heretici, sed
etiã qui sciunt aliquẽ hæ-
reticũ pertinacem, publicũ
vel secretum, & non illum denun-
ciant Inquisitoribus in iure excõ-
municantur. * Secundo. Eadem
censura plectuntur Inquisitores, &
eorum Vicarii, atque Episcopo-
rum substituti ad executionem
inquisitionis, quando contra eorũ
scientiam, vel iustitiam alicui hæ-
resis crimen imponunt, vel non
procedunt contra quem debent,
& hæc excommunicatio est reser-
uata Papæ. * Tertio. Excommuni-
cantur iudices, Domini, locorum-
que Rectores, & Prouinciarum,
quando non obediunt Inquisito-
ribus, vel Episcopo circa hæretici
inuestigationem, aut carceri de-

putatum, carceri non tradunt, vel statim postquam relictus est brachio sæculari non puniunt debita pœna, vel è carcere sine Inquisitoris, vel Episcopi licentia liberant: Cum se immiscent in cognoscendis hæreticorum causis, cum directè vel indirectè processum, vel sententiam impediunt, aut demùm, cum Inquisitori, vel Episcopo se opponunt in hæretici causa, & hæc excommunicatio est Episcopalis. Si verò hæreticum vt talem defendunt, est excommunicatio Bullæ Cœnæ Domini. * Quartò. In illam excommunicationem Episcopalem incurrunt etiam, qui auxilium, vel consilium huiusmodi potestatibus præbent. Vide sup. lib. primo cap. 19.

De Apostasia, & Infidelitate.
Cap. 6.

Apostasia est * error hominis baptizati, fidei Catholice ex toto contrarius. Quare grauior heresi Apostasia est, quia illa, ex parte, hæc ex toto, fidei contraria est. Apostasia dicitur retrocessio, & Apostata retrocedens. Apostata triplex, interior tantum, exterior tantum, & interior & exterior simul, & hic duntaxat, iuris pœnas, & excommunicationem incurrit Bullæ Cœnæ Domini in utroque foro. Infidelitas est error hominis nõ baptizati, fidei Catholicæ siue ex toto siue ex parte contrarius. Vnde includit hæresim & Apostasiam, tamen in duobus tantum casibus est peccatum. Primo quãdo quis sufficentem fidei Christianæ notitiã habet, & nihilominus in suo persistit errore. * Secundo quãdo negat id quod ratione naturali sciri potest, & ad Cath. pertinet fidẽ. Quãobrem Iudæi, & alii Infideles, qui propè Christianos sunt, &

de nostra Christiana Religione
notitiam habent, à peccato non
excusantur, sicut nec illi, qui plu-
res colunt deos, & præcepta di-
uina contemnunt.

De spe, & peccatis contra Spem.
Cap. 7.

Spes est* inclinatio ad futuram
beatitudinem, Dei auxilio cõ-
sequendam.* Peccata contra
spem sunt duo: Despetatio & Præ-
sumptio. Despetatio est quidam
recessus voluntatis à beatitudine
futura. Desperatio interdum est
sine fide, & vnum quid cum hære-
si: vt si quis beatitudinem non
crederet esse, vel à Deo posse dari,
aut nolle eam dare: alias cum fide
manet, vt si quis putet sibi Do-
minum non remissurum peccata,
quia multa, & magna sunt. Est
vero peccatum desperationis, mi-
nus hæresi, sed periculosius. Præ-

sumptio est duplex. vna qua quis vult beatitudinem suis naturalibus meritis, & viribus consequendâ, absque Dei gratia, vt Pelagiani. Altera est quæ quis vult beatitudinē sola diuina misericordia, & absque vlio proprio merito consequendam, vt Lutherani, & hic error est peior priore.

Quid sit Charitas, & quam necessaria. Cap. 8.

Charitas est * hominis amicitia ad Dominū, supernaturalis. Perfecta amicitia quatuor necessario requirit. Primū vt sit amor. * Secundū quod sit amor beneuolentiæ, quo alicui volumus bonū, bonū autē ipsum volitum est amore concupiscentiæ. Tertium, quod sit amor mutuus: quod nāque solus est, ratione amicitia caret. * Quartum, quod sit

aliqua conuersatio inter amantes. Illud tamen certum est, solam amicitiam dici charitatem quæ est inter hominem & Dominum, in qua prædicta quatuor pulchrè elucent. Homo namque amat Deum amore beneuolentiæ, quatenus vult ipsum esse bonum, & iustum, ut re ipsa est. Dicitur* amor mutuus, quia homo amat Dominum, & ipse prius dilexit nos, hoc tamen discrimine, quia nos non impendimus ei tale bonum, quod volumus, at ipse suo amore dat bonum quod vult. Exstat inter nos, & ipsum mutua conuersatio, quatenus nos in ipsum tendimus, ut finis noster est, & manifestat nobis suam voluntatem, quam & implemus: propter quod Christus Ioh. 15. ait. Non dicam vos seruos, sed amicos, quia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis. Necessaria est autem hæc charitas, ut opera nostra efficiantur vitæ æter-

næ meritoria , & beatitudinem ipsam postremò consequamur.

De peccatis contra charitatem.

Cap. 9.

Multa sunt peccata contra charitatem, sed quatuor præcipuè, Odium in Dominum. Amor inordinatus, ut cū Dominum amamus non propter ipsum, sed præcipuè propter bona quæ ab ipso speramus. Tertio loco ponitur amoris tepiditas, quia nos ipsum non amamus, super omnia. Debet enim hic amor esse summus appretiatiuè, etsi necesse non sit, ut sit summus intensiue. * Quartum, ex tempore pendet, quia nō diligimus ipsum, quando debemus: Cum primum enim ad annos peruenerimus, in quibus iudicii ratio viget, tunc tenemur nos nostraque omnia in finem vltimum dirigere, & Do-

minum ipsum rebus omnibus anteponere, ac super omnia amare alioquin peccant mortaliter. S. Thom. 1. 2. q. 89. 6. quæ sententia probabilis est, & securius est ita facere. Aliud tempus est quando conteri tenemur ratione aut periculi mortis, aut Sacramenti suscipiendi, vel ministrandi, & deest confessarius. Quod vero aliqui addunt etiam nos ad id teneri quando vel recipimus magnum aliquod beneficium à Deo, vel aggredi debemus opus aliquod arduum. Salubre tantum consilium est, non præceptum.

De amplitudine charitatis, erga proximum, & de schismate.

Cap. 10. & 11.

Proximi omnes illi dicuntur, qui nobiscum participes esse possunt eiusdem finis beatifici & hi sunt omnes homines in

hac

hac vita degentes, etiam peccato-
 res, inimici, & infideles, qui qui-
 dem omnes ex charitate sunt dili-
 gendi quo ad quatuor. * Primò,
 quo ad vltimū finem, quem om-
 nibus velle debemus. * Secundo.
 Quantum ad spirituale gratiæ, &
 fidei bonum, quatenus cuiusmodi
 bona debemus omnibus velle &
 curare salutem ipsorum etiam cū
 dispendio vitæ propriæ in extre-
 ma necessitate spirituali illorum:
 & extra necessitatem, quando id
 possumus sine notabili damno
 nostro. * Tertio. Quantum ad vi-
 tam corporalem, vt non solum
 eam illis cupiamus, sed etiam
 conseruare studeamus, si possi-
 mus sine nostro notabili damno,
 vt de elemosyna infra dicitur;
 Tract. de pec. mortal. c. 33. * Quar-
 to. Quo ad officia communia,
 quæ aliis hominibus exhibere de-
 bemus. Vnde quando inimicus in
 eadē cū aliis ratione conuenit, non

sunt ei communia beneficia subtrahenda : vt si manet in eadem domo, vel in eodem collegio, alioquin & saluare ipsum debemus, si ante inimicitiam salutabamus. Peculiariora autem beneficia, quae solent amicis exhiberi, vt sunt familiares colloquutiones, nemo tenetur exhibere inimicis, licet antea exhibuisset, modo nullum inde scandalum oriatur. Inimicis praeterea nostris iniuriam remittere tenemur quantum ad odium, & malivolitionem, sed non quantum ad debitam satisfactionem, & rectae iustitiae poenam, quinimo ratione peccatorum possumus eos odio habere, cum Propheta dicit: Iniquos odio habui: & malum poenae alicui desiderare ob spiritualem emendationem, atque etiam mortem ob aliorum boni, aut iustitiae zelum. * Schisma est rebellis, & spontanea separatio ab vnitae Ecclesiae, & quando inte-

rius cōmittitur absque opere exteriori, aut verbo, est peccatum mortale, sed nulli censurę subest: quando est cum errore in intellectu, ita quod Ecclesię, vel Papę non credatur, habet adiunctam hęresim & pœnis dictis subest.

De primo Decalogi p̄cepto.
Cap. 12.

Decem Decalogi p̄cepta in duabus tabulis Moysis, digito Dei scripta fuerunt: quorum prima tria, quę in prima erant Tabula, ad Dei cultum pertinent. Alia septem in secunda: ad utilitatem proximi spectant omnium tamen transgressio est mortalis, nisi leuitas materię, vel defectus deliberationis, vt in repentinis, vel defectus pleni rationis vsus, vt in semidormientibus pollutis, planę excuset. Illud tamę certū est

hæc præcepta obligare omnes homines ad actum inclusum in præcepto, sed non ad finem præcepti, qui est charitas. Vetitum enim est hominem occidere, sed non ex charitate non occidere. In hoc primo præcepto vnius Dei cultus, & adoratio iubetur, in qua tres inveniuntur actus. Primus est actus intellectus, quo Dei excellentiam, & dominationem eius cognoscimus. * Secundus est actus voluntatis, quo nos ei subiicimus, & est ipsa adoratio. * Tertius est actus exterior, quo talem subiectionem humilibus obsequiis, genuflexionibus, capitis inclinationibus, vel detractionibus, spontè demonstramus: & hic est effectus adorationis quæ adoratio maximè in missæ sacrificio elucet, quod soli Deo debetur.

De Blasphemia, & Impietate.
Cap. 13.

Peccata contra Christianam Religionem, primò hoc prohibentur præcepto, quorum maximum est blasphemia, quæ propriè est contra Dei laudem, inquit Tolet. non contra fidei confessionem. Laus duplex est, interior, & exterior: & contra utramque est blasphemia, qua Deo maledicimus, quod fit formaliter, cum apertè: & virtualiter, cum occultè id perperam agimus, ut si quis dicat, velit nolit Dominus, hoc faciam, vel Deo invito hoc præstabo. Similiter qui ex contemptu, ait, Ad Corpus, & Dei sanguinem, vel iniuriòsè Dei nominat partes, aut Sanctissimæ Mariæ Virginis, & aliorum Sanctorum membra, & est peccatum mortale gravissimum, & vix remissibile, minus tamen est quando est per modum iuramenti. Contingit etiam blasphemare contra alias creaturas rationales mor-

tales, quod si nō malo animo fiat, veniale tātum est peccatum. Maledicere autem irracionales quatenus Dei, vel hominis sunt, est mortale. Si vero quatenus irracionales, est veniale duntaxat: & si ratione damni illati, nullum. quia hoc non tam est maledicere creaturæ, quam malo: sic namque Iob diei, & David montibus maledixerunt Impietas peccatum est, honori, quem Deo, suisque Sanctis debemus contrarium: vt imagines conculcare, &c.

De Superstitione. Cap. 14.

Superstitio est * vana Religio contra verum Dei cultū. Fit duobus modis: primò, cum Deo vero cultum exhibemus eo modo, quo non debemus, vt si nunc sacrificiis veteris legis, vel allicuius falsæ sectæ ceremoniis, qui

cultus dicitur perniciosus, aut superfluo uteremur cultu, ut si plures genuflexiones fiant, vel pluries dicatur Alleluia, quàm Breuiarii doceant Rubricæ: quæ tamen superstitio, non est mortale peccatum, sed tantum veniale, nisi ex contemptu fiat. Altero modo, quando exhibetur cultus Deo falso: quæ quidem superstitio claudit sub se quinque species. Idolatriam, Magiam, Diuinationem, Vanam obseruantiam, & Maleficium. Idolatria est * diuini cultus exhibitio ei facta, qui nō est Deus: quam si error in intellectu præcedat, opponitur etiã fidei, & subiicitur excommunicationi Cœnæ Domini. Si vero talis honor extimote, vel passione procedat. Idolatria non est fidei opposita, nec habet censuram annexam, sed est semper peccatū mortale. Magia est * potestas inordinata faciendi, quod est supra naturam, quod

si diuino fiat auxilio, dicitur miraculum: si dæmonis operatione, propriè Magia est. Dæmon tamen non habet per se potestatem efficiendi tales effectus, sed vel illos aliunde asportat, vt cum facit apparere serpentem, aut eos efficit applicando causas naturales, & accelerando earum actiones: aut sensus nostros deludit proponendo sensibus obiecta ex aère condensato, seu sensus impediendo, & imaginationes hominum mouendo, vt appareant illis, quæ vere non sunt, aut talia non sunt vt apparent, siue ad hoc præcedat pactum expressum cum Dæmone, siue solum tacitum. Inuocatur verò Dæmon tacitè multis modis, atque interdum quidem, verbis non significatiuis: quandoque figuris, aliquando miscendo falsa quædam vt Christum laborasse febri, aut apponendo conditiones inutiles, vt quod her-

ba tali die vel hora colligantur: ac demum quando effectus excedit virtutem medi, vt si quis promittat non lesurum iri ab inimicis qui hoc vel illud gestauerit, quæ tamen omnia ex simplici ignorantia procedentia, venialia sunt, donec qui illa laborat, instruatutur ab aliquo.

De Diuinatione. Cap. 15.

Diuinatio est enunciatio inordinata eorum, quæ per naturam cognosci, nequeunt, vt sunt, quæ à sola diuina, vel humana pendet voluntate, vel futura contingetia, aut alia occulta, quæ quidem nec Dæmō certò scire potest, quæ verò ipse futura enuntiat ea cognoscit, aut coniectura tantum, vel ex reuelatione boni Angeli Deo permittente, vel quia erant naturaliter euentura etsi seculus videretur hominibus, vel quia ipse erat ea factururus. Inuocantur

autem Dæmon vel expresse, idque multis modis, quos vide apud Soletum, vel tacite, ut cum quis ad aliquid cognoscendum vitur mediis quæ ad hoc nullam habent aut proportionem. Vbi circa Astrologiam notandum est, non negari, quin per illam possint effectus aliqui naturales cognosci, ut eclipses, pluiæ, &c. sed eos tantum qui ex libera Dei, vel creaturæ, voluntate pendent: & ideò peccaret mortaliter qui ea vteretur ad illos effectus, existimans illud iudicium esse certum, secus verò si incertum, idque semel atque iterum tantum. Augurium verò & auspicium, quæ sunt aliæ diuinationis species, tunc licita sunt, quando iis tantum ea prænunciamus, quæ aliqua animalia naturaliter prænunciare solent, quomodo Mergi mare liquentes signant tempestatem futuram, & vespertilioes longè à domibus

volantes, serenitatem : peccata-
men mortaliter qui per animalia
pronunciat ea quorum nullos ha-
beat instinctus. Est & aliud genus
diuinationis quod Sortilegium di-
citur, & est multiplex : vnum di-
uinatorium quod ferè semper est
peccatum mortale, nisi quando
expectatur in certis aliquibus ca-
sibus, responsum à Deo, vt quan-
do Saül misit sortem super Iona-
tham, Nautæ super Ionam. Aliud
Diuisorium, quod licitum est mo-
do non fiat contra iustitiam, vel
bonum Reip. aut in Ecclesiasticis
dignitatibus. Aliud denique con-
sultorium, quod semper est pec-
catum, quando responsum expe-
ctatur à Dæmone: secus vero quã-
do à Deo, & est eius rei necessitas,
vt quando media humana desunt,
& modo id fiat cum reuerentia, &
in rebus non profanis.

De Vana obseruantia. Cap. 16.

VAna obseruantia est quarta superstitionis species, in qua Dæmon tacitè inuocatur, cù in ea media assumuntur, quæ vim nõ habent ad tales effectus. Huius quatuor sunt species prima est Ars notoria, quæ continet orationes quasdam & ieiunia ad scientiam consequendã, & est peccatum mortale. Alia est obseruantia sanitarum, quando vana & inutilia media assumunt ad tales effectus, vt qui quibusdam orationibus sanant dolorem capitis, aut retinēt sanguinis fluxum, &c. In quibus vtuntur verbis non significatiuis, sed vt plurimum ridiculis, quæ si ex ignorantia procedant, peccatum est veniale, si consultò fiant, mortale. Cum vero huiusmodi orationes nullam habent malam circumstantiam

& ex deuotione dicantur, etsi in ea re non peccetur, melius tamen est ab illis abstinere, & sufficit à Sacerdote recitari Euangelium vel orationem aliquam Ecclesiæ, ex deuotione. Ad hanc reducitur herbarum collectio in die Ascensionis Domini. S. Ioan. Baptistæ, ante solis ortum, & vsus Carlini in Die Parasceue primò collecti. *Tertia est futurorum euentuum collectio ex rerum impertinētium obseruatione. * Quarta reliquiarum, cum nimirum vanæ portantur, aut veræ cum aliqua circumstantia vana: vt puta, quod Euangelium scriptum deferatur in carta virginea. Vltima species est Maleficium, quod est * ars nocēdi aliis, Dæmonis potestate: & est duplex, amatorium, ad libidinem hominum animos alliciens: & veneficum, quo vel personis, vel rebus ipsarum nocent, incitando ventos, grandines, &c. Maleficus au

tem circa quatuor est interrogandus à confessario, in quibus graui-
ter peccare contingit. * Primo de
pacto quod pepigit cum Damo-
ne. * Secundo, an aliquem errorem
habeat contra fidem. * Tertio, qua-
le maleficium fecerit, & an in eo
adhibuerit res, aut verba sacra, &
crediderit vim illis inesse ad tales
effectus. Quarto, de damno quod
fecit in rebus & personis, an fuerit
mors, vel aliud, restitutione resar-
ciendum. Maleficium maleficio
tollere, non modo non licet, sed
nec petere à maleficio ut eo modo
tollat, tollendum ergo est oratio-
nibus, Sanctorum inuocatione, &
aliis id genus operibus pietatis.

*Quid Votum, eius obligatio, at-
que materia. Cap. 17.*

Votum est* deliberata pro-
missio, ex voluntatis pro-
posito, Deo facta, In qua

definitione quatuor continentur:

* Primum est deliberatio, quæ in usu rationis, quæ satis sit ad peccatum mortale, consistit, unde puer ante septennium, ebrii & inconsideratè sine consensu, vel coactè vouentes, non verè vouent. * Secundum, necessarium est voluntatis promittendi propositum. * Tertium, promissio, hoc est ipsa traditio & obligatio. * Quartum, quod talis promissio sit facta Deo immediatè, vel mediatè in sanctis suis: nam si hominibus fiat, non dicitur votum. Circa votum materia quatuor conditiones requiruntur. Quod materia sit possibilis vouenti & dum vouet, & cum adimplendum est votum. Quod non sit vana, vel indifferens ad bonum, & malum. Quod sit quid bonum, & ob bonum finem, & non ex causa mala. Quod sit de meliori bono, quale non est matrimonium, cui

fit Religioni contrarium. Quando verò votum est de materia alias in præcepto, tenet quidem, sed transgressor duo cōmittit peccata, vel vnum duobus æqui ualēs. Qui autē contra votū validū, vouētē persuadet, semper mortaliter peccat, & in genere, circa voti obligationem intentio vouētis spectanda potius est, quam verba ipsa.

De Votorum differentiis, & ipsorum relaxatione. Cap. 18.

Votum primo diuiditur in simplex, quod in sola promissione & traditione ex parte vouētis consistit, & in solemne, quod præterea continet acceptionē ex parte Dei cui fit promissio. Differunt vero hæc in quatuor. *Primo quia votum simplex ad plura se extendit, solemne verò non fit nisi de castitate in maiori-

bus ordi-

bus ordinibus, & de Religione per professionem. Simplex votum castitatis, & Religionis impediunt matrimonium contrahendum tantum, solemne verò etiam contractum. Simplex Religionis non obligat vouentem, si non recipiatur in monasterium, aut si expellatur sine culpa, aut ante probationis annum, iusta ex causa egrediatur, at in solemni existens, etiam expulsus saltem ad castitatem seruandam tenetur, non tamen ad obedientiam vel paupertatem.* Quarto simplicis transgressio non facit apostatam, exceptis votis simplicibus SOCIETATIS IESU, at solemnis apostatam constituit, & dimittens Religionis habitum absque necessitate, incurrit excommunicationem latam sententiam, etiam si per horam tantum dimitteret animo laicaliter viuendi, ea tamen excommunicatio nulli reseruatur. Qui autem facit contra votum ca-

stitatis solemnizatum per clericatum, etsi sit apostata quo ad mores, non incurrit tamen ullam excommunicationem. Immo qui minores ordines tantum suscepit, potest ducere uxorem sine peccato, tenetur tamen beneficium si aliquod habeat, relinquere, alioquin mortaliter peccat. Etsi beneficium illud habeat curam animarum, modo non sit collegiatum, tenetur omnes fructus restituere quos percepit à tempore quo statuit deserere clericatum. Votum solemne Religionis, dirimit Matrimonium ratum non consummatum, at votum clericatus nequaquam. Est enim efficax Religionis votum, & quavis possit à Papa dispensari, non tamen debet id fieri, nisi in gravissima causa. Rursus votum dividitur in Personale, & Reale. Personale est quod ad personam tantum votantis spectat, Reale, ad rem tempo-

ralem, vt qui vouit eam dare in
Eleemosynam, quod votum si
filiorū sit, à patre, vsque ad 25. an-
num, potest irritari, personale ve-
ro vsque ad 14. Est & conditio-
nale votum quod obligat condi-
tione posita, modo sit honesta: &
pœnale, quod in pœnam ponitur,
& etiam obligat quando fit ex bo-
no fine, vt si non abstinuero ho-
die à ludo, voueo me ieiunaturū:
& absolutum quod absolute fit si-
ne conditione & pœna. Differunt
irritare, & commutare votum, di-
spensare, & absoluere voti trans-
gressione, nam irritare, est annul-
lare, & sic superior vota subdito-
rum irritat, quin imo cum mate-
ria voti est contraria iis in quibus
inferior superiori tenetur pare-
re vt filius patri, statim vota
sunt irrita nisi à superiore appro-
bentur. Commutare verò in me-
lius & ipse vouens potest, in æ-
quiualens aut paulo minus, Epif.

copi & prælati, non tamen sine causa legitima, & iidem circa subditos dispensant etiam, iuxta de causa in votis omnibus, exceptis Papæ reservatis, quæ sunt hæc quinque: Votum simplex Religionis, Castitatis perpetuæ: Sancti Iacobi, Hierusalem, Sancti Petri Romæ & vota solemnia, quæ tamen si conditionata, & non absoluta sint, ad Episcopum pertinent, sicut & si fuerint pœnalia. A voti transgressione quilibet confessarius potest absoluerè, sicut & ab aliis peccatis, sed manet voti obligatio in futurum.

De Tentatione Dei. Cap. 19.

Tentatio est dictū, vel factū ad capiendā alicuius experientia. Quare ille Dominū tētare dicitur, qui aliquid dicit, vel facit, vt Dei potentiam, vel sapientiam, seu aliud quoduis eius attributum exploret, vel aliis ma-

nifester. Tentari potest Deus expressè, vt qui ea intentione id facit, vel tacitè, vt si talis quidem intentio desit, id tamen quod quis facit ad hoc tendit, quod contingere potest tripliciter: vno modo cū quis relictis mediis naturalibus à Deo ordinatis ad tales effectus, eisdem alia quærit via: altero modo, cum quis sponte periculum quærit, à quo tamen non potest nisi à Deo liberari: vt si vellent de Turri per aëra sine scalis descendere Dominum verò tentare non licet, nisi ex diuina inspiratione, vt fecit Abraham, Gen. 15. qui dicenti Deo se daturum terram illam, respondit, vnde sciam, quod possessurus sim terram hanc? Alias esset peccatum mortale, nisi leuitas materiæ aut inconsideratio excusarent. Demum ex curiositate, & sine necessitate Dominum tentare præcipuè circa specialia, semper est graue peccatum. In ne.

cessitate tamen, ut quando non potest Dei via alio modo manifestari vel speratur ingens aliorum utilitas in his quæ ad Deum sunt, potest Deus tentari licite.

DE SECUNDO Præcepto.

Quid, & quotuplex Iuramentum. Cap. 20:

Iuramentum est * inuocatio diuini testimonii in dicti alicuius confirmationem. Homo namque per peccatum, ueritatem, & fidem apud homines perdidit, & ideo illi iuramenti remedium Deus contulit, quo ne abuteretur, hoc secundum statuit præceptum. Non assumes nomē Dei frustra. Deut. Cap. 5. Inuocatur autem testis Dominus in iura-

mento, quia ipse est summa veritas, quæ nec falli, nec fallere potest. inuocatur explicitè cū nomine suo appellatur, implicitè autem cum per creaturas, & sanctos, quatenus eius sapientia, potentia, & bonitas in eis maxime relucet, & est maius iuramentum quo magis in illis elucet, vnde maius iuramentum est iurare per beatam Virginem quam per alios sanctos. Iuramenti species sunt quatuor. Assertorium, Promissorium, Comminatorium, & Execratorium. Assertorium est, cum affirmatur aut negatur aliquid præsens aut præteritū. Promissorium est, in quo futurū certo asseritur, aut negatur, vt faciam hoc per Deum. Comminatorium est in quo pœnæ malum promittitur, vt per Deum castigabo te, Execratorium est in quo aliquid affirmatur, vel negatur, sibi pœnā apponendo vt moriar, si res non

ita se habet. Et similiter si quis dicat per vitā, per caput meū, &c. nā sensus est ita Deum inuoco, vt nisi ita sit, me illa vita priuet.

An liceat iurare, & quomodo.
Cap. 21.

Licitum est iuramentum, si debito modo fiat: est enim prae-
cipuus Religionis actus, fit autē debito modo, cum Deus verus ipso iuramento inuocatur (falsos enim Deos, vel dæmonem inuocare mortale est, & habet res istas conditiones annexas: Veritatem scilicet, iustitiam & Necessitatem, quas Doctores eliciunt ex Cap. 4. Hierem. vbi dicitur: Iurabis, viuit Dominus in veritate iudicio & iustitia. Iuramentum est verum, & sine culpa, cum homo ita verbis iurat, sicut in corde sentit. alias est peccatum mortale e-

tiam in materia leui, & etiam ni-
fieret in utilitatem Reip. Iurare
autem falsum in re, quæ in corde
& mente vera existimatur, non est
peccatum, nisi in tribus casibus:
*Primò, quando quis nullam ad-
hibuit diligentiam, ut cognosceret
id de quo iurat: *Secundo, si erat
de veritate dubius: *Tercio si erat
paratus etiam falsum iurare. Te-
netur vero quis non solum quod
res est, sed præterea etiam se-
cundum aliorum mentem iurare,
& uti communi verborum signi-
ficatione his præcipuè casibus.
*Primo cū quis sponte, & non ro-
gatus iurat. *Secundo, quādo à su-
periore iuridicè, ac iustè interro-
gatur. nā si de crimine occulto, po-
rest ut æquiuocatione, ita ut dicat
nescio, id est, ad reuelandū. *Ter-
tio, cum etsi à non superiore, sed
tamen cum iustitia rogatur, ut
quando qui emit, perit iuramentū
à vendēte veritatis rei, at si coactè,

vel importune extra iustitiam de iuramento requiratur, æquiuocatione vti poterit sine mortali. Immo si Iudex ab aliquo perat, vt iuret num hic aut ille tale facinus admiserit, si tale crimen erat occultum, nec damnosum Reipublicæ, vel hæresis obfirmata, nec Iudex habeat vel vnū testem, nec aliam semiplenam probationem, non debet iurare, & si cogatur potest vti æquiuocatione. Iustitia item necessaria est, enimvero nemini criminis alterius occulti veritatem licet per iuramentum reuelare. Sicut neque quidquam aliud iurare, quod reuelare peccatum est. Vltimo utilitas, atque necessitas expetitur. In re tamen leui iurare, solum est veniale, modo absit contemptus, & periculum peierandi ex praua consuetudine. Et hæc de Iuramento Assertorio dicta, ad Promissorium, & Comminatorium, & Execratorium ex-

tendi possunt, debent enim in his quoque inueniri veritas, vnde qui iurat se facturum quod non intendit facere, peccat mortaliter, & iniustitia, & ideo qui iurat se facturum quod est mortale, peccat mortaliter, & qui quod veniale, venialiter. ac preterea utilitas, cuius tamen defectus solum inducit pec. veniale.

De obligatione Iuramenti.

Cap. 21.

In his iuramentis, promissorio, comminatorio, & execratorio tanta est obligatio, vt qui licite iurauit, intentione se obligandi, teneatur sub mortali adimplere, vnde à latronibus etiam comprehensus, si non coactus, verè iurat se eis daturum centum aureos, si dimittant, tenetur iuramento, verum tamen est illum ratione coactionis posse vti aequiuocatione, atque ita sese non obligare, eadem

que est quo ad primum illud, ratio, de illo, qui à custodibus in carcere detentus, discessit iuramento redeundi, nam redire tenetur, si iuste ibi detinebatur, sunt tamen certi casus in quibus homo non tenetur seruare iuramentum, ratione materię, vt si quis iurasset se peccaturum, vel de re indifferente. Vel ratione euentus, quia nempe accessit aliquod impedimentum, vt si iurasset se die Veneris ieiunaturum, & postea agrotasset. vel ire Lauretum, & postea id non posset sine graui suo incommodo temporali. Aut mutatione status, vt cum dominus iurauit se castigaturum seruum, qui postea corrigi est paratus. Vel si id quod iurauit est impeditiuũ maioris boni, vel ratione modi iurandi, vt si quis honoris causa iuravit se non ingressurum primum, vel si is cui iuramentum factum est, illud relaxet, vel denique ali-

quid eueniat propter quod sit melius non adimplere iuramentum quam illud adimplere.

De Iuramenti dispensatione.

Cap. 23.

Superiorū est in eo quod superiores sunt, iuramenta dispensare, vnde pater dispensat iuramenta filiorum, maritus vxoris, Abbas Monachorum, Episcopus & Papa respectu cleri & rerum Ecclesiasticarum, vt si quis iurasset se daturum alteri beneficium, Papa potest in omnibus iuramentis quæ non sunt contra tertii cuius utilitatem dispensare ex causa, quamuis possit etiam in illis, in pœnâ, vel quando fuerunt ex metu extorta. Episcopus in illis tantū, in quibus si essent vota posset dispensare in voto, & ideo nō potest relaxare iuramentum Religio-

nis castitatis, peregrinationis ad
 limina Petri & Pauli ad sanctum
 Iacobum de Compostella, & Hie-
 rusalem, præterea ipsemet qui iu-
 ravit potest suum iuramentum in
 aliquod apertè melius commuta-
 re, quando iuramentum non erat
 in alicuius tertii utilitatem. Con-
 fessarius autem potest absoluerè à
 peccatis contra iuramenta factis,
 non autem à iuramenti facti obli-
 gatione sine priuilegio aliquo.

DE TERTIO Decalogi Præcepto.

Memento vt diem Sabbathi san-
 ctifices. Cap. 24.

Sabbathum hebraicè, idem
 est quod latinè, quies, quia eo
 die filii quidem Israel olim,
 nunc verò dominica ac cæteris

festis ex præcepto sanctificandis, ab iis operibus quiescere debemus, quæ cæteris diebus exerceri solent, qualia sunt, quæ ex se famulatum quendam habent, & seruilis sunt vt suere, dolare, & arare, aliaque similia exercere. Prohibetur etiam Mercatus, qui fieri solet qualibet hebdomada, non item nundinæ post sacrum; sententia ciuilibus, & iudicum strepitus, ac notariorum, sententia mortis, & iuramentum iudiciale emptiones, & venditiones particulares, quæ quotidie fiunt & notariis scribere, & iudicibus examinare testes, nisi sit necessitas, vt quia hi alio tempore non possunt haberi. Permittuntur autem sine peccato opera animæ, vt meditari, orare, studere, disputare, legere, scribere, & docere. Quinimo, & aduocato studere super lites, scribere, & informare iudices etiam scripto, etiamsi hæc pro

pecunia fiant, præterea venari, iter
facere, audire tamen sacro, digla-
diari, saltare, pulsare instrumenta
musica, ita verò tenentur fideles ad
festa, quæ suo præcepto sunt san-
ctificanda, vt tamen non tenean-
tur conteri de peccatis, contra
Scotum qui dixit peccantem die
festo bis peccare, & sic necessariam
esse festi circumstantiam in con-
fessione explicare: homo namque
tenetur quidem ad præceptum,
non autem ad præcepti finem, qui
est sanctitas ipsius, grauius tamen
peccat, qui die festo peccat, vt su-
pra dictum est. Omnes autem fi-
deles die festo sub præcepto san-
ctificando. Missæ interesse sub pec-
cato mortali tenentur. Vt de Con-
secrat. dist. 1. & iuxta Tol. lib. 6.
Cap. 6. & 7.

*De peccato non sanctificantis
festa. Cap. 25.*

Non sãctificare festa ex genere suo est mortale, nisi leuitas materiæ excuset, vt tondere barbã quia tunc est cõmodum & antea non vacauit. Illa autem opera seruilia, quæ immedia è ad Dei cultum spectant, & non possunt nisi in festo fieri, sine peccato fiunt: vt pulsare campanas, portare cruces, libros in choro portare, & similia. Quæ vero non immediate ad Dei cultũ pertinent, & ante, vel post fieri queũt, in festo prohibentur, vt panes azimos coquere, Templorum parietes ornare, &c. verũ tamen est hoc facere eo tempore etiam si antea fieri potuissent, per se loquendo non esse aliud peccatum quã veniale. Necessitas etiam corporalis excusat pauperes, qui aliter sibi victum quærere non possunt: nisi laborent, & colonos, cum imminet rei temporalis periculum,

vt tempore Messis, & vindemia:
quomodo etiam excusantur qui
non possunt sua opera intermit-
tere sine magno damno, vt qui vi-
trum fundunt, milites qui tempo-
re belli exstant aggeres, piscatores
si perdant occasionem magni lu-
cri, vt in piscatione Tunorum.
Excusantur similiter serui, cum à
dominis suis operari coguntur, &
qui in vtilitatem Reip. vias ster-
nuat, & alij qui in necessitate, vel
habita Papæ, vel Episcopi licentia,
vel ob bonum & vtilitatem pro-
ximi indigentis, laborant,

